15741/c

APPENDIX ALTERA AD OPVSCULA.

ORATIVNCVLA,

COLLEGII MEDICORVM LONDINENSIS CATHEDRAE VALEDICENS.

IN COMITIIS,

POSTRIDIE DIVI MICHAELIS, MDCCLXVII,

AD COLLEGII ADMINISTRATIONEM RENOVANDAM DESIGNATIS;

MACHINAQVE INCENDIIS EXTINGVENDIS APTA, CONTRA PERMISSOS REBELLES MVNITIS;

HABITA,

A D. GVLIELMO BROWNE, EQVITE AVRATO, PRAESIDE.



Ne quid Falsi dicere audeat; ne quid Veri non audeat. CICERO.

LONDINI, MDCCLXVIII.
Impressa vaenit a W. OWEN, prope TEMPLE-BAR,
Solidi unius pretio.


304436

PRAESIDI
ET SOCIIS COLLEGII
MEDICORVM LONDINENSIS,
AVDITORIBVS SVIS,
HANC
ORATIVNCVLAM
INSCRIBIT AVCTOR:

ANIMIS, QVALES
NEQVE CANDIDIORES
TERRA TVLIT,
NEQVE QVEIS SE SIT
DEVINCTIOR ALTER.

LONDINI,
EX AREA DICTA REGINALI,
III. NONAS IANVARII,
MDCCLXVIII.

WELLCOME MEMORIAL HISTORICAL MEDICAL LIBRARY



O R A T I V N C V L A.



NE *quid falſi*, Spectatiſſimi Sodales, *dicere audeam*; *ne quid veri non audeam. Converſis ſtudiis aetatem animumque virilem*, ad medicinam ruri faciendam, ſedulus adpuli: ubi, ut iſta ſuadet aetas, *quaeſivi opes et amicitias.* Poſtea vero, ſatiatus *amicis*, quos *veritas* non *obſequium pepererat*, ſatiatus *opibus*, quas *Galenus* non *Fortuna dederat*, acceſſi ſtatim ad hoc Collegium: ubi, eidem monitori ulterius obſequens, totus *inſervirem honori.*

DVCE

Dvce favore veſtro, meriti mei loco, per varios honoris gradus, ſuaviſſimam ſane climacem, ad ſummum uſque, quem conferendum habet omnis Medicina, evectus ſum. Cathedra igitur hac, ab Electoribus, mihi, fateor, multo magis quam Collegio faventibus, bis accepta, Praeſes veſter

—— —— —— —— —— *ſe vixiſſe beatum*
Dicit, et exacto contentus tempore, jamnunc
Cedit, uti conviva ſatur: —— —— ——

ſe, vitaeque quod reliquum ſit ſuae, ſoli non amplius ut antea Collegio, ſed viciſſim, patriae etiam noſtrae acidulis, ſaluti ſimul ac voluptatis ſacris, quamquam ut Medicus nunquam immemor officii, more tamen ſuo, hilariter magis quam graviter addicturus: *potiore metallis libertate,* jure ſcilicet ſuo, quia humano, non ſine ſuperbia, quae ſemper ei comes adeſſe debet, potiturus.

Nunc pede libero pulſanda tellus.

En hominis ambitionem! non niſi tribus veluti orbibus medicis devictis, ruri lucro, Collegio honore, acidulis voluptate, ſatiandam! Vellem, ſi qua poſſem, omnibus

omnibus esse *dulcis et utilis*; mihi ipsi *totus teres atque rotundus*; senectuti senex diametro oppositus, non *censor castigatorque*, sed laudator stimulatorque *minorum.* Vellem, ut sit mea qualis, in Satyra,

— — — *Crispi jucunda senectus,*
Cujus erant mores, sicut facundia, mite
Ingenium. — — — — —

AETAS praesidendi, more majorum, lustrum plerumque fuit, quamquam Sloanius noster, ὁ μακαρίτης, tamquam Nestor alter, tam Praesidis, quam hominis tres vidit aetates. Mihi autem biennium plus satis facit: quippe, ut Electorum sua quisque vice Caii prudentiae, potentia longe praestantioris, sceptrum gereret, id quod *justi lex suadet et aequi,*
Non cultura placet longior annua.
Verum enimvero, inter tam charas mihi vobiscum amicitias, inter tam dulcia colloquia, inter tam utilia commercia, quibus me situs hic amabilis beaverit, unum et alterum, ut fit, mihi minus ad mentem obtigerunt.

VNVM, quod, cum pacem Collegii, ego ipſe pacis ſtudioſiſſimus, ſartam tectam me ſervaturum ſperaverim, *eam* cito nimis non niſi *bello quaerendam* inveni: quin, et hoſte primo, quia puſillo, confeſtim obruto, ejuſque capite Legis manu penitus exſciſſo, ex eadem tamen cervice, quaſi Hydram hoſtem habueramus, capita tot alia erumpentia, imo et in ipſum hunc ſenatum, vi prorſus inhumana, irrumpentia, veluti in mari noſtro medico *monſtra natantia,* invitis quidem, ſed *ſiccis* aut potius *fixis oculis*, quippe nihil inde mali Collegio ſuſpicans, ideoque ridens, adeo non metuens, vidi. O vos permiſſi rebelles, violata fide, ab ordinis veſtri ſtatutis Collegii, ut oportet, obedientis, ac ab illo bene merentis majori parte penitus diviſi, ſupraque fratres, ſupraque vos ipſos ſuperbia animoque elati, nempe mente capti! O vos *quaſi,* O *tanquam Socii!* O vos non ita pridem chirurgi, pharmacopolae, ex officinis, ejuſque generis humili de grege, *ad medicinae facultatem in urbe Londino et per ſeptem milliaria in circuitu*

ejuſdem excercendam, ſed *ne plus ultra*, nec ad aliquid amplius, cum id ipſum forte nimis videri poſſit, Collegii noſtri ſigillo *admiſſi*, vel potius, quoniam meliori ac rectiori hoc nomine in ſtatutis noſtris inſigniti ſemper fuiſtis, *permiſſi!* O vos Academiis utriſque noſtris, non modo regni, verum etiam totius literati orbis, ſcientiae luminibus, omnino ignoti: graduſque veſtros plerumque adepti, non ab almis doctrinae matribus, non a caſtis literarum matronis, ſed a nudis pauperibuſque meretriculis Academicis, ſeque ſuoſque honores cuivis, vel inviſo, turpiſſime miſerrimeque, pretio etiam quam minimo, proſtituentibus et venditantibus; quae *lana* potius *ac tela victum* pudenter *quaeritare* debent!

O imitatores! ſervum pecus, ut mihi ſaepe
Bilem, ſaepe jocum, veſtri movere tumultus!

Vt vere ac libere loquar: dum caudam veſtram Collegio noſtro adſuere, hoc modo, fruſtra conati eſtis, profecto, mihi exhibere tentaſtis picturam

iſtam

iſtam ridiculam abſurdamque, ab Horatio tam lepide deſcriptam;

— — — — Ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Citabam, ex eodem Auctore, ſtatim poſt ſoluta Comitia noviſſima, ob inruptionem permiſſorum rebellium, ipſis audientibus, ut oſtenderem, quantum nos vis iſta permoverat ac terruerat, et recitabo in praeſentibus, id quod, *Si foret in terris*, recitaret *Democritus:*

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Citabam ſimul ex eodem, ut oſtenderem, quid de Juriſconſulto vim hanc dictante, ſi quis tamen Juriſconſultus, quod jure dubitari videtur, eam revera dictare potuerit, ego ipſe ſenſerim:

Vis conſilî expers mole ruit ſua.

ALTERVM autem, revera, et nunquam non dolendum, quod, cum lectionem medicam Crooni-anam, ſuadela omni mea, loco muſicae Orphaeanae, veluti ex orco in lucem, ſi qua fides promiſſis ſolen-

niter

niter datis, me feliciter eduxisse crediderim, violata, quod demiror, fide ista, haec, quasi Eurydice altera, a me forsan festinanter nimis respecta, perdite nimis amata, retro statim labitur, et *fugit indignata sub umbras*. Vellem autem Collegium serio admoneri; quod, neglectu aut contemptu Lectionum medicarum, negligitur aut contemnitur ipsa Medicina; negligitur aut contemnitur ipsum Collegium; quod, nisi utile sit, artisque medendi studiosum, procul dubio nihil est.

INDIGNOR autem dici, id quod magis tamen indignor credi, si credi quidem possit, quod, quasi sorex catus navem cito confringendam deserens, consilium hoc ceperim, ut terga darem Cathedrae vestrae, quae, metuerim ipse, saltem, si non praeviderim, contra tam potentes, tam pecuniosos permissos, Collegium vi sua incredibili obsidentes, *aureisque montibus* subscriptis, tanquam *converso in pretium Deo*, cui *turris ahenea* nil obstet, fidentes, diutius defendi non potuerit:

—— *ſcilicet invidens*
Exinde *deduci ſuperbo*
Non humilis Medicus *triumpho!*
Intactus aut Britannus ut deſcenderem
Sacra catenatus via!

Praeſes Collegii Medicorum Londinenſis permiſſos rebelles, Scotos pleroſque, metuens! *Monſtrum horrendum!* quanto eſſet mihi, quanto eſſet vobis dedecori! Metuerem certe ipſemet muſcas citius, aut culices, quam veſpas hujuſce generis medicas, ſtrepitum quidem facientes, caudaſque ſuas vel, quod idem ſonat, capita vibrantes, ſed ſtimulos nec retrorſum nec antrorſum habentes, ſtrepituque igitur ſolo animulas ſuas agentes.

Sed, ut finem tandem faciam, ne taedio ſim vobis, quibus voluptati ſemper eſſe cuperem: Sedi huic honoris, honorem cuique, vel mihi indigno danti; quam, fateor, ardenter ambivi; quam, profiteor, alacriter occupavi; quam tamen, honore jam ſatiatus, dedituſque in poſterum voluptati medicae, debitae,

ni fallor, labori medicinae improbo per plus feculi dimidium exacto, gratiis nunc relinquo maximis; reftat folum, ut beneficii nunquam obliturus valedicam; id quod uno faciam verbo,

ESTO PERPETVA.

IVRE gloriatus eft Auguftus Cæfar *urbem marmoream fe relinquere, quam lateritiam accepiffet.* Iure ego ipfe gloriari videor,

—— *fic parvis componere magna folebam,*

Caftellum me relinquere, contra permiffos rebelles, Scotos praecipue, fatis fuperque, nullus dubito, munitum, quod *Collegium* accepiffem. Adeo ut idem ipfe, qui nuper huc adii modo Praefes, jam nunc hinc exeam Dux etiam *Caftelli* medici *Varvicenfis.* Duxque item tam *vigilans*, juxta Ciceronis illud lepide dictum, de Confule novo in poftremum modo anni diem poft noviffimum mortuum defignato, ut *non* vel *femel in omni* ducatu *meo dormiverim.*

FINIS.

Errata. p. 4. l. 5. *pro*, mihi, fateor, *lege*, fibi, fatetur,
ibid. l. 12. *pro*, noftrae *lege*, fuae
pro, voluptatis *lege*, voluptati

VERSES

SENT TO THE AUTHOR, BY UNKNOWN INITIALS, D. G.
VINDICATING HIM, AGAINST THE ABUSE, AND ANGER,
OF SCOTS REBEL LICENTIATES.

AD FVSCVM, EQVITEM, PRAESIDEM.

Integer vitae, ſceleriſque purus
Non timet Scoti obloquium, neque iram,
Nec venenatis gravidam ſagittis,
FVSCE, pharetram.
Pone Te Scotis *ubi nulla campis*
Arbor aeſtiva recreatur aura;
Dulce ridentem comites Te habebunt,
Dulce loquentem.

TO BROWNE, KNIGHT, PRAESIDENT.

He, whoſe juſt life due honor bears,
Nor *Scot's abuſe*, nor *anger* fears,
Nor his *full-loaded quiver*:
BROWNE, let him try his *treach'rous arts*,
To *wound Thee* with his *poiſon'd darts*,
Thou ſhalt retort them ever.
Place Thee in *Eden's* fouleſt air,
Which neither tree, nor noſe can bear,
Nor lungs with pleaſure take in:
Ev'n there, *ſuch Spirits flow in Thee*,
Thee ſweetly laughing all ſhall ſee,
All hear *Thee ſweetly ſpeaking.*

SEPT. X, MDCCLXVII.

LIBRARY